


POP. Salve, Metelle. — AT. Heu Serani! — SER. Heu matercula!  
 AT. Tene me, fili, nam mihi infirmi labant poplites.  
 POP. Salvos sis, Regule! — AT. Salvos, salvos sis, Regule!  
 SEX. Impera, quaeso tibi. — AT. Enim vero non eiulo,  
 Quamvis in omnibus membris dolorem sentiam  
 Magnos, qui memet incitant, ut eiulitem. Modo  
 Salvere Regulum iubeo. Et vos dicite: salve, Regule.  
 SER. Tu pol mortem ipsa das tibi, matercula.  
 AT. Heu, gnate, vae mihi; conspectus eius est minax.  
 Abscondite me, ut ne meus illum conspectus dolore adficiat.  
 SEX. Veni sis, Atilia, in illam te duco porticum,  
 Illic per otium melius videbis res et audies.  
 Cape tu, Serani, matrem, non oportet conturbarier  
 Concilium saevis querelis et clamoribus.  
 LIC. Echo cives Romani, si placet, recedite!  
 POP. Vale, vale! — AT. Ah quid fit? mittite me, parcite!

## SCENA VI

LICTORES, POPULUS, REGULUS, METELLUS, PUBLIUS, PRIORES.  
 LIC. Echo cives Romani, si placet, recedite!  
 POP. Salve, Metelle consul et salvos sis, Regule!  
 ME. Te, Iuppiter, quem cives servatorem praedicant,  
 Te optimum atque altissimum, te, Juno, regina caelitum,  
 Te, sancta Vesta, teque, Iane, qui pariter tempus vides  
 Peractum et posterum et te, Mars horrendus pater,  
 Levas qui civitatem Romanam hostium periculo,  
 Deos vos omnis, qui habetis in profunda atque aeterna.  
 Et vos omnis deos, Olympi montis excelsi incolas,  
 Deos deasque adorat Romanus populus labris meis.  
 Si unquam casta dona et munera vobis adtulit  
 Virentibusque foliis ornavit muros aedium  
 Ferebaturque in altum fumus sacrificii  
 Et vos benigne nos despexit: etiam nunc nostras preces  
 Audite sultis et communicate nobiscum vostrum animum,  
 Ut sola fortuna huius civitatis vobis acceptissimae,  
 Non humilitas aut utilitatis sua cura faciat,  
 Ut Romanus populus istuc ineat consilium.  
 Sic Roma, quom sibi satis est, constabit nec se foederi  
 Alienorum aut amicitiae concredet mobili,  
 Quae saepe in difficultates deducit maxumas,  
 Sed ponet in sola fiduciam concordia,  
 In fortitudine civium, virtute, studio,  
 Quod omnia, quae pulra, bona, magna sunt, desideret.

(Ad proximum numerum)



*Pauca exemplaria reperta sunt*  
IOANNIS B. FRANCESIA actionis dramaticae, versis senariis conscriptae,

cui titulus:

## EUPLIUS

Venit libell. italic. 2; quibus addenda erunt libell. 0,60 in Italia;  
libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur JOSEPHI FORNARI  
Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud  
ephebea facile agendis:

## FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium consti-  
tuimus libellarum 600 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic.  
scilicet 1200, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXV

Romae, mense Iulio MCMXXXVIII

Fasc. VII

# ALMA ROMA

## LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

## HISTORICAE NOTAE

### Urbis Romae exordia

Fabulas ab historia secernimus; fabulas facile praetermittimus, et in primis conditam fuisse Urbem die XXI mens. aprilis DCCLIII ante Chr. nat.; non enim die, sed saeculis opus est urbi huic; nec una die ulla exstitisse urbes aut conditas fuisse apud vetustissimos populos quis crediderit.

Tiberini enim colles iam praehistoricis temporibus sedes fuerunt variarum stirpium, quae eo confluxerunt variis de causis, tum defensionis cum commercii. Tiberini montes vel colles alii ab aliis vallisbus praeruptis separabantur, ita ut unusquisque aptissimam praeberet uni vico sedem; paludibus interiectis hinc communiebantur, inde vero uniebantur qua naves, lintres facilis vehi poterant; Tiberis ipse et Anio et defensionem a ceteris populis et viam ad illos praebebant.

His igitur in collibus vici iam tum extitere; inter colles eosdem etiam tum eminebat ille qui postea Palatinus dictus est, quique unus e septimontio desertus hodie manet veluti si veneratione sacra posteri horreant tantas tamque multas illustresque ruinas novis violare aedificiis. Tria cacumina nunc ille adhuc ostendit, licet non ita distincta, cui nomina « classica » adhuc

tribuuntur: *Germalus, Palantium et Velia;* in illis iam tres vici eisdem nominibus designati exstiterunt aliquo foedere inter se coniuncti, sed distincti: prope extollitur Esquilinus mons, cui quoque tria cacumina nominibus *Fagutal, Cispicus, Oppius* cum tribus vicis eisdem nuncupati nominibus; demum *Suburra*. Septem his vicis in foedus coniunctis, sensim sine sensu Urbs primitiva est constituta; inde nomen *Septimontium*, quia septem montani vici habebantur: tres in Palatino, tres in Esquilino, unus in Suburra.

Festum foederis Septimontium etiam tempore historico celebrabatur die undecima mensis decembri, sacrificiis litatis tum tribus in verticibus Palatini, tum in tribus Esquilini, tum in Suburra; quod vestigium est pristini foederis, et exstitisse credendum est etiam ante urbem constitutam septimontium. Proculdubio septimontii primitiva urbs est triplex urbs Palatina, constans vicis, quos supra nominavimus; in Palatino enim traditio collocat domum romuleam paleis obtectam; hic casam pastoris Faustoli; hic *lupercal*, quod est « lupae cubile »; hic *sacram ruminalem ficum*; hic *Martis ancile*; hic *Saliorum curias*, et *curias veteres*, et sacerdotum Iovis sedes; hic *urbem quadratam*, quae Urbis veluti prima fovit incunabula; hic *pomerium*, quod circa Palatinum percurrit definiens limitem



urbis quadratae, quod etiamtum aetate imperiali exstebat obsignatum cippis; circa hoc pomerium eadem aetate Luperci quotannis lustrationem perficientes ambebant die decima quinta mens. februarii: hic Tacitus ipse suis oculis vidit vetustissima moenia urbis palatinae, postea dictae quadratae, earum describit circuitum, tres portas; quarum ut saltem duea patuerint et nos hodie novimus, altera scilicet *Romana* vel *Romanula* ad S. Georgium in Velabro, que postea patuit *Flumentana*, moenibus aedificatis novis Servii Tullii; altera porta *Mugionis* ad Arcum Titi: hic tandem *Mundus* ponitur. Erat autem *Mundus* fossa quaedam, quae effodiebatur ubi duea primores urbis viae altera alteram secabat; qui *limitationis* et mundi ritus Aries est et Etruscus.<sup>1</sup>

Huic primitivo nucleo, huic vetustissimae urbi, quae orta est ex tribus vicis (unde forsan nomen *tribus ductum*) montis Palatini, accedunt dein tres vici Esquilini (*Fagutal*, *Cispius*, *Oppius*), et dein Suburra, foedere, ubi mos erat, icto; inde urbs latius patuit, ac septem vicos, septem montes, vel melius septem vertices complexa est; inde *Septimontium*, quod est vetustissimum Urbis nomen. Ratio huius foederis quaerenda est in ipsa rerum natura, ex mutua defensione, forsan a vicis finitimi, hinc Sabinorum (in monte Quirinali), inde Etruscorum.

Prope enim *Septimontium* eminebat col-

<sup>1</sup> In *Mundo*, et frugum primitiae aliaque bonorum omnium deponebantur veluti in manum et deorum sede, quibus urbs custodienda dicabatur. Narrat, perbelles quidem, Plutarchus, Romulum ad ritus sacros urbis condendae discendos sacraque peragenda accivisse sacerdotes Etruscos; eos curavisce foveam effodiendam circa Comitium, quod locus erat quo populus conveniret; in quam foveam singulos patres familiarum infudisse pugillum terrae, quam e suis quisque terris attulisset. Hanc terram undique collectam Romulum miscuisse magna cura, ut dignosci amplius non posset, locumque *mundum* appellatum fuisse. Quae pia traditio, licet historice probari nequeat, optime tamen innuit qua ratione urbs extiterit, ex variis gentium elementis veluti conflata.

lis, cui postea Quirinalis nomen inditum est: mons enim significat *Palatinum* vel *Septimontium*; <sup>2</sup> collis autem Quirinalem. In colle primum consedisse vicum gentis Sabinae hodie nemo dubitat: ibi fanum habebant Quirinus (a quo collis nomen duxit), Salus, Semo Sancus, qui omnes dii Sabini sunt; inferius postea fanum Vulcani, item Sabini: ibi traditio fert Titum Tatium Sabinum habuisse aedes regias. Inter *Palatinum* montem et Quirinalem collis eminebat mons Tarpeius, colli quodammodo adiunctus: ibi arx, caput collis, postea *Capitolium* dictum: Quirinali adhaerebat *Viminalis*; unum idemque simul efformabant. Duea igitur habentur, altera contra alteram, vetustissimae urbes, *Septimontium* et Quirinalis; medium *Capitolium*, veluti propugnaculum Sabinorum; quae duea urbes (fortasse saec. V) una urbs fluit, mixtis utriusque elementis; inde *Saliorum* duplex acies: *Salii palatini* et *Salii collini*, binaeque Lupercorum turbae, et *Quirittum* nomen ad utrosque significandos deductum. Tarpeius mons iam tantum *Capitolium* dicitur, nomine communis ad proprium evecto, fitque novae amplioris urbis Latino-Sabinae unica arx, et Iovis *Capitolini* nomen iam Iovis Latiaris nomini praevalere coepit. Ratio foederis novi item semper repetenda ex necessitate defensio- nis tunc contra invadentes Etruscos, qui iam ad dexteram Tiberis ripam aderant et *Septimontio* minabantur. Paludes, quae inter *Palatinum* et Quirinalem erant, absterguntur, siccantur; valles implentur, via patet inter montem et colles, «forumque et *Capitolium* non a Romulo, sed a Tito Tatio additum Urbi». <sup>3</sup>

Foedus vero non repulit omnino invadentes Etruscos, neque hi omnino praevaluere. Urbem pristinam eos aliquamdiu occupavisse accepimus non a traditione

<sup>2</sup> Hodie quoque qui in regione Esquilina habitant vulgo appellantur *monticiani*.

<sup>3</sup> TAC., Ann., XII, 24.

tantum, quae reges Etruscos (e. g. Tarquinios) refert, sed a vestigiis huius gentis, artis, ritus, linguae Etruscae, quae magis in dies in Urbe primitiva reperiuntur, deteguntur vestigiis Latinis et Sabinis commixta; novae ostendunt extruendi, communicandi, aquae deducendae rationes, libri rituales et «aruspicina», novum in colle fanum triadi Iovi, Iunoni, Minervae dicatum; <sup>4</sup> quae profecto valent, etiamsi cum quibusdam putemus divinitatem trianam et antea cultam apud Tyrrhenos fuisse, quum fana ternis cellis reperta sint ex. gr. in vico Marzabotto, et Falisci videantur habuisse trianam quamdam divinitatem; nam Etrusci ita triadis cultum expoliverunt, formulas rituales, sacerdotia ordinaverunt, diffuderunt inter alios Italiae populos, ut ab eis et Urbem didicisse nemo neget.

<sup>4</sup> SERV., Ad Aen., I, 422.

SYLVIA ROMANI.

## DE VERSIONIBUS LATINIS CAMPANAE SCHILLERIANAE

Anno 1926 prodiit opusculum, cui titulus: «Schillers Lied von der Glocke in lateinischen Nachdichtungen. Mit einer Einleitung herausgegeben von Joseph Troxler, Rektor. Beilage zum 60. Jahresbericht über die Mittelschule Münster (Luzern) 192 <sup>5/6</sup>» i. e. «Schilleri de campana carmen a variis interpretibus Latinis versibus refectum. Edidit et praefatus est Iosephus Troxler, rector. Additum sexagesimo programmati scholae secundariae Münsterianae (Luzern) 192 <sup>5/6</sup>». Libellus autem non prostat venalis apud bibliopolas, ita ut difficilis aditus ad eum pateat civitati litteratae. Nec mihi ipsi copia adhuc data est textum genuinum inspiciendi. Per opportune igitur fecit Societas Latinae moderator, quod — uno exemplari ab auctore honoris causa donatus — de opusculo mentionem saltem fecit (a. 1935,

pag. 32) et primam stropham carminis Schilleriani a septem interpretibus Latine expressam inde depropmsit. Omnes versiones prodierunt priore dimidio saeculi XIX, septem autem illi interpretes sunt: G. G. Röller, D. Ph. Heine, L. Füglister, I. D. Fuss, I. B. Niethammer, B. G. Fischer, W. A. Svoboda. Fischer solus usus est metris antiquis, ceteri omnes metricam rationem archetypi retinuerunt, versus formantes homoeoteleutos. Eorum versiones qui diligentius perscrutatus erit, facere non poterit, quin meum iudicium probet in *Alma Roma* nuper (pag. 41) prolatum: «Cum alii (Schilleri interpretes) sat habeant extremarum syllabarum exitus similes quaerere, ipse (Svoboda) exitus parres aucupatur, sive cum aliis acquiescant in syllabarum assonantia, ipse semper plenam affectat consonantiam». Sed hoc notasse sufficiat! Aliud, quod maioris momenti est, monere legentes in animo habeo. Et Troxlerum et moderatorem Societatis Latinae fugit — id quod non possum satis admirari — etiam octavam nobilissimi carminis Schilleriani interpretationem exstare. Debet originem G. libero baroni Diepenbroick-Grütero et inscribitur: *Schilleri de campana carmen*. Mihi praesto est editio altera sub forma parvuli eiusdemque elegantis libelli typis expressa Hammone ad Lupiam a. 1865.

Prima stropha carminis reddita est hunc in modum:

Forma fundo stat reclusa  
cocta firme de luto.  
Hoc die campana fusa  
esto servo sedulo!  
Fronte ros calens  
decidat fluens,  
artifex si vult probari;  
sed Deo debet adiuvari.  
Ad rem, severi quam paramus,  
sermo severus convenit,  
nam verba si recta applicamus,  
prompte labor tum profuit.  
Nunc diligenter cogitemus,  
vis parva quantum pollet;

*parvi virum nos aestimemus,  
qui, quod facit, non pensat.  
Id namque mortali decorum,  
donata ad id mens caelitus,  
ut noscat in praecordiorum  
imis, creat quidquid manus.*

Si quis igitur in posterium de Schilleri Campana, Latina veste ornata, disputabit, Diepenbroick-Grüteri memor esto!

Ser. Trebici in Moravia.

FR. PALATA.

## DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS<sup>1</sup>

### De indefinitis

a) *Quisquam*, fere pronominis, ullus fere adiectivi more usurpantur in propositionibus forma, aut saltem sensu negativis.

EXEMPLA: Potestne bonum *cuiquam* malo esse? — Alienum est a sapiente, non modo iniuriam *cuiquam* facere, verum etiam nocere (CIC.) — Quis unquam Graecorum rhetorum a Thucydide *quidquam* duxit? (CIC.) — Sine sociis nemo *quidquam* tale conatur (CIC.) — Alexander, quem has legisset litteras, eas capiti subiecit, nec *cuiquam* ex familiarissimis ostendit — Iustitia nunquam nocet *cuiquam*, qui eam habet (CIC.) — Difficile est non aliquem, nefas *quemquam* praeterire (CIC.) — *Quisquamne* istuc (istud) negat? (CIC.) — Si *quisquam* sapiens fuit, is certe fuit Socrates (CIC.) — Virtus nihil habet in se magnificum, si *quidquam* habet venale (SEN.) — Vespasianus nunquam caede *cuiusquam* laetus est gloria cláiores aut auctoritate graviores aut humanitate politiores Africano, C. Laelio (CIC.) — In secundis rebus nihil in *quemquam* superbe ac violenter consulere decet (TIT. LIV.) — Si *ulla* mea apud te commendatio valuit, haec ut valeat, rogo (CIC.) — A quo maius periculum quam

<sup>1</sup> Cf. fasc. sup.

ab *ullis* nationibus extimescendum? — Verres taetrior tyrannus Syracusanis fuit quam *quisquam* superiorum (CIC.) — Multi omnia se simulant scire, nec *quidquam* sciunt — Est bonus, ut melior vir non *quisquam* sit — Ne illi quidem qui scelere pascuntur, possunt sine *ulla* particula iustitiae vivere — Non necesse est *quemquam* a me nominari — Nunquam vester consensus maior in *ulla* causa fuit — Omnes consentiunt neque *quisquam* contradicit — Caesar non eguit consilio *cuiusquam* — Si tempus est *ullum* iure hominis necandi, certe illud est quum vi vis illa defenditur — Nauta per mare voluntat, nec *quidquam* timet — Si *quidquam* mihi impedimento fuerit, quam gravis sit ira mea senties — Nulla causa iusta *cuiquam* esse potest contra patriam arma capiendo (CIC., Phil., II, 22) — Lex naturae vetat *ullam* rem esse *cuiusquam*, nisi eius qui tractare et uti sciat (CIC., Rep., I, 17).  
b) *Quivis* et *quilibet* sunt aut adiectiva aut pronomina.

EXEMPLA: Quid est homo? *Quodlibet* quassum vas et fragile (SEN.) — *Cuivis* potest accidere quod *cuiquam* potest (PUB. SYR.) — Non *cuivis* homini contingit adire Corinthum (HOR.) — *Quivis* homo potest turpem de *quilibet* rumorem proferre (CIC.) — Statuit *quovis* modo incepsum perficere (SALL.) — Iphricrates *cuivis* iniiciebat admirationem sui (CORN. NEP.) — *Quivis* perspicere potest in hac causa improbitatem cum veritate contendere (CIC.) — Ex his rebus *quaevis* amplificationes nasci possunt (CIC.) — Alium *quemlibet* elige, nam nostrum nemo dignus est (PLAUT.) — *Quivis* homo potest tibi nocere — Non minus quam vostrum *quivis* formidat malum (PLAUT.) — Solertius quam *quilibet* unus ex iis quos nominavi, castris locum cepit (TIT. LIV.) — *Cuivis* dolori remedium est patientia (PUB. SYR.) — *Cuiusvis* hominis est errare, nullius

nisi insipientis in errore perseverare (CIC., Phil., XII, 2).

c) *Quisquis* et *quicumque* fere pronomina sunt. Possunt tamen, in quibusdam dictionibus, adiective sumi.

EXEMPLA: *Quicumque* is est, ei me proteor inimicum (CIC.) — Videas istud, *quidquid* est — Apud desidiosos videbis *quidquid* orationum historiarumque est (SEN.) — *Quidquid* avium volitat, *quidquid* piscium natat, *quidquid* ferarum discurrit, fit gulæ praeda (SEN.) — *Quicumque* turpi fraude semel innotuit, etiamsi verum dicit, amittit fidem (PHAEADR.) — Omnes tibi commando Cyprios, sed magis Paphios; quibus tu *quaecumque* commodaveris, erunt mihi gratissima (CIC.) — Male vivit *quisquis* nescit mori bene (PUB. SYR.) — *Quoquo* modo res se habet, peto a te ut eam expediias (CIC.) — Ab animo tuo *quidquid* agitur, id agitur a te (CIC.) — Frustra scientiam docemur, si *quidquid* audimus praeterfluit (SEN.) — *Quoscumque* de te queri audivi, *quacumque* potui ratione placavi (CIC.) — Quae sanari poterunt, *quacumque* ratione sanabo (CIC.) — *Quicumque* potest tibi nocere, is tibi metuendus est — *Quidquid* futurum est summum ab imo nascitur (PUB. SYR.) — *Quicumque* amisit dignitatem pristinam ignavis etiam iocus est (PHAEADR.) — Omnis disciplina memoria constat, frustraque docemur, si *quidquid* audimus praeterfluat (QUINT., Instit., XI, 2, 1).

d) Pronomen *quisque* adiungitur, more enclytcae, reflexivis et reciprocis, relativis et correlativis, interrogativis, ordinibus et superlativis.

EXEMPLA: *Gravissima quaeque* grana serenda sunt (PLIN.) — *Optimum quidque* rarissimum est (CIC.) — Pecunia semper ab *amplissimo quoque* clarissimoque contempta est (CIC.) — Thucydides a republica remotus est, id quod *optimo cuique* Athenis accidere solitum est (CIC., De

or., II, 13) — *Suum quisque* noscat ingenium (CIC.) — *Suae quemque* fortunae maxime poenitet (CIC.) — *Suum cuique* incommodum ferendum est, potius quam de alterius commodis detrahendum (CIC., Off., 3, 30) — Adversus hostes victos *mitissimus quisque* maximum animum habet (TIT. LIV.) — *Primum quodque* videamus (CIC.) — *Quid quaeque* nox aut dies ferat incertum est (SEN.) — Non est meae consuetudinis, initio dicendi, rationem reddere *qua* de causa *quemque* defendam (CIC., Rab., 1) — Exercendae memoriae gratia, *quid quoque* die egerim, commemoro vesperi (CIC.) — Illud ex institutis pontificum non mutandum est, *quibus hostis* immolandum sit *cuique* deo (CIC.) — Ex variis ingenii excellentissima *quaeque* libavimus (CIC.) — Ipse se *quisque* diligit (CIC.) — *Optimus quisque* gloria ducitur (CIC.) — *Quartus quisque* annus est intercalaris — Pestis nulla maior est amicitii quam in plerisque gloriae cupiditas, in *optimis quibusque* honoris certamen et gloriae (CIC.) — Ariovistus ob-sides *nobilissimi cuiusque* liberos poscebat (CAES.) — *Levissimus quisque* et futuri improvidus spe vana tumet (TAC., Hist., I, 88) — Poëtae *suum quisque* opus a vulgo considerari vult (CIC., Off., I, 41, 147) — Nocet *sua cuique* stultitia — *Suo quaeque* tempore facienda sunt — *Optimus quisque* facere quam dicere malebat — *Veterrima quaeque* amicitia debet esse suavissima — Metellus *tertio quoque* verbo orationis suaue me appellabat — Faber est *quisque* fortunae suaue (SALL., De Ord. Rep., 1) — *Sui cuique* mores fingunt fortunam (CORN. NEP., Att., 11, 6) — In omni vita sua *quemque* a recta conscientia transversum unguem non oportet discedere (CIC., Att., XII, 20).

e) Non ita raro *indefinitum quis* pro *aliquis* usurpatur.

EXEMPLA: Atticus neque laedebat *quemquam*, neque, si *quam* acceperat iniuriam,

non malebat oblivisci quam ulcisci (CORN. NEP.) — Quis nescit primam esse historiae legem ne *quid* falsi dicere audeat, deinde ne *quid* veri tacere; ne *qua* suspicio gratiae sit in scribendo, ne *qua* similitatis? — Ubi semel *quis* peieravit, ei credi postea non oportet (CIC.) — In Lautumias Syracusanas, si *qui* publice custodiendi sunt, deducuntur (CIC.) — Tuum est, si *quid* praeter spem evenit, mihi ignoscere (TER.) — Si *qui* voluptatibus ducuntur, missos faciant honores; ne attingant rem publicam (CIC.) — Petit ne *cui* rei parcat ad ea efficienda quae pollicetur (CORN. NEP.) — Populus id ipsum laudabat, si dicendo *quis* diem eximeret (TAC.) — Habant Galli legibus sanctum, si *quis* *quid* de republica rumore aut fama acceperit, ut ad magistratus deferat neve cum *quo* alio communicet (CAES.) — Neque quisquam agri modum certum aut fines habet proprios, ne *qua* oriatur pecuniae cupiditas (CAES.) — Locum fecerunt sub terra, ex quo posset audiri, si *quis* *quid* loqueretur (CORN. NEP.) — Opera dabatur ne *quod* iis consilium inter se neve *qua* communicatio consilii esset (TIT. LIV.) — Non vereor ne *quid* stulte facias (CIC.) — Ego si *cui* displiceo, dum ne tibi, non labore — Ego si *quid* hic hodie novi cognovero, scies — Si *quis* est animo excellente, si *quis* ridet quidquid ceteri mortales timent aut optant, caelestis potentia agitat eum et regit — Quo *quis* plures virtutes habet, eo plus debet honorari — Quum *quis* hoc idem mendum admittet, punietur — Qui sciam, nisi *quis* ex vobis mihi dixerit? — Num *quis* ex vobis eam vidit? — Atticus, si *quam* iniuriam acceperat, malebat oblivious quam ulcisci — Si *quis* eum interrogat, obmutescit — Domitianus quotidie secretum sibi horarum sumere solebat, nec quidquam amplius quam muscas captare ac stylo praecuto configere: ut cuidam interroganti essetne *quis* intus cum Cae- sare; non absurde responsum sit a Vibio

Crispo: « Ne musca quidem » (SUET., Dom., III) — Illis promissis standum non est quae coactus *quis* metu promiserit (CIC., Off., I, 10) — Mihi videtur acerba semper et immatura mors eorum qui immortale *quid* parant (PLIN., Ep., V, 5).

f) *Alius* cum suis casibus saepe copulatur, aut etiam eum suis derivatis et compositis.

EXEMPLA: *Alius* alia causa dignitati suea defecit (CIC.) — Opiniones *aliae* apud *alios* sunt (CIC.) — Multa genera consolandi sunt: *alii* enim *alio* modo moventur (CIC.) — *Alius* *alium* circumspectant (TIT. LIV.) — *Alii* *alios* intuebantur, mirabundi velut somnii vanam speciem (CIC.) — *Alius* *aliis* vivendi mos est (CIC.) — *Aliis* *alia* licentia est (SALL.) — *Alius* *alio* curam suam mitit (SEN.) — *Alius* *alio* casu periit (SUET.) — *Aliud* *aliis* annis magis convenit (QUINT.) — Sibyllae iidem versus *alias* in *aliam* rem possunt accommodari (CIC.) Aliter *alii* cum suis vivunt (CIC.) — Multi homines *alias* *aliud* iidem de rebus sentiunt (CIC.) — *Aliud* *aliis* videtur optimum (CIC.) — *Alii* *aliunde* coibant (TAC.) — Homines hominum causa sunt generati, ut *alii* *aliis* prodesse possent (CIC.) — *Alios* *alio* more videmus exta interpretari (CIC.) — *Alius* in *aliis* rebus est praestantior (PUB. SYR.) — Iussit *alios* *alibi* fodere (TIT. LIV.) — Virtutum in *alia* *alius* mavult excellere (CIC.) — In magna copia rerum *aliud* *alii* natura iter ostendit (SALL.) — *Aliter* cum *alio* est agendum (SEN.) — Crebro si iacias, *aliud* *alias* ieceris (PUB. SYR.) — Mihi videntur omnes quidem errasse, sed *alius* *alio* magis (CIC.) — *Alii* *aliis* linguis student — *Aliae* *alia* ferunt regiones: hic segetes, illic vites feliciter veniunt, alibi silvae — Equites sine duce relicti *alii* *alias* in civitate suas dilapsi sunt.

g) Eodem casu saepe iterantur *alius* et *alter*; iterari etiam possunt adverbia ex iis composita.

EXEMPLA: Quum Caesar in Galliam venit, *alterius* factionis princeps erant Aedui, *alterius* Sequani (CAES.) — *Alii* oratores probantur a multitudine, *alii* ab iis qui intellegunt (CIC.) — Erit *alius* historiae magis idoneus, *alius* compositus ad carmen, *alius* utilis studio iuris (QUINT.) — Accusatorum *alterius* crudelitate, *alterius* indignitate conturbor (CIC.) — Clastes populi romani bello punico primo, *altera* naufragio, *altera* a Poenis depressae interierunt (CIC.) — Perspicuum est *alia* esse in homine optanda, *alia* laudanda (CIC.) — Diei noctisque vicissitudo conservat animantes, tribuens *aliud* agendi tempus, *aliud* quiescendi (CIC.) — Nunquam *aliud* natura, *aliud* sapientia dicit (IUST.) — *Aliud* est epistolam, *aliud* historiam; *aliud* omnibus, *aliud* amico scribere (P. I.) — Uterque imperator, devictae a se gentis nomine honoratus, *alter* Africanus, *alter* appellatus est Achaicus (VEL. PAT.) — *Aliter* Diodoro, *aliter* Philoni, Chrysippo *aliter* placet (CIC.) — *Aliter* cum tyranno, *aliter* cum amico vivitur (CIC.) — *Alium* insatiabilis tenet avaritia, *alium* in supervacuis laboribus operosa sedulitas; *alius* vino madet, *alius* inertia torpet; *alium* defatigat semper ambitio, *alium* mercaturaee praeceps cupiditas circa omnes terras, omnia maria, spe lucri, ducit (SEN.) — Hoc doctoris intelligentis est sic instituere adolescentes, ut *alteri* calcaria adhibeat, *alteri* frenos (CIC., Brut., 204) — Ciceronis oratio *aliter* me; *aliter* te commovit — Ex Saguntinis *alii* ex summis moenibus sese praecipites dederunt, *alii* se suis gladiis transfoderunt — *Aliae* respondere deorsum, *aliae* levitate sursum feruntur — *Alias* horas vanus salutandi labor, *alias* datum fabulis otium, *alias* spectacula, *alias* convivia trahunt (QUINT., Instit., XII, 11, 18) — Turpe est *aliud* loqui, *aliud* sentire (SEN.).

h) *Alter* usurpatur loco *alius* quum de duabus agitur.

EXEMPLA: Consuetudo est *altera* natura (CIC.) — Nemo qui sua confidit *alterius* virtuti invidet (CIC.) — Neuter *alterum* diligit (CIC.) — Neutra *alteri* proficiet (QUINT.) — Ab alio exspectes *alteri* quod feceris (PUB. SYR.) — Ignosco saepe *alteri*, nunquam mihi (SEN.) — Honesta fama est *alterum* patrimonium (PUB. SYR.) — Eadem omnibus principia, eademque origo: nemo *altero* nobilior (SEN.) — Quidquid *alteri* simile est necesse est minus sit eo quod imitatur, ut umbra corpore et imago facie et actus histrionum veris affectibus (QUINT.) — Ex vitio *alterius* sapiens emendat suum (PUB. SYR.) — *Alterae* litterae impetravere ut aliqui ad eum mitterentur (TIT. LIV.) — Liberi mei te parentem *alterum* putant (CIC.) — Hos ego versiculos feci, tulit alter honores; sic vos non vobis vellera fertis, oves (VERG.) — Gratia est officiorum *alterius* memoria, et *alterius* remunerandi voluntas (CIC., Invent., II, 16, 1) — Inter Graecae civitates praecipuae fuerunt Athenae ac Lacedaemon. *Alter* voluptatem appetebat; *alterius* autem vita dura erat ac laboris studiosa — Athenienses fracti pacem petiere. Quae an dari deberet diu inter Spartanos eorumque socios deliberatum. Quum multi delendum nomen Atheniensium urbemque incendio consumendam censerent, negarunt se Spartani ex duobus Graeciae oculis *alterum* eruturos — C. Lucilius, homo doctus et perurbanus, dicere solebat ea quae scriberet neque se ab indoctissimis neque a doctissimis legi velle; quod *alteri* nihil intelligerent, *alteri* plus fortasse quam ipse (CIC., De Orat., II, 6) — Dueae fuerunt Arioquisti uxores, una Sueba natione, *altera* Norica: utraque in ea fuga ope indigere se putat qui *alteri* suam negat (TER.) — Qui *alterum* incusat probri, ipsum se intueri oportet (PLAUT.).

I. Jss.

(Ad proximum numerum).

## LEONI XIII

septimo volente Iusto ab eius obitu die XX mens. Iulii MCMXXXVIII

«Lumen in caelo»<sup>1</sup> niveis tenebras  
discutit vasto radiis in orbe.

Inde vanescens Superum serenas  
scandit in aedes.

Gestane insignis memorem LEONIS,  
qui vigil Pastor nituit, peritus  
Nauta, Praeceptor sapiens, canorus  
ceu Maro Vates?

Mi Pater, quaeso, faveas ut almo  
Numen afflatu tibi temperanti  
mysticam cymbam venerabilisque  
Virgo favebant.

Quam dator dives Deus est! Libenter  
Filiū donis cumulans opimis  
ecce fit sensim generosa Mater  
largior imbre.

Pontifex Matris venerationem  
provehit, certis precibus rogandam  
edocet,<sup>2</sup> Puram celebrare puro  
carmine gestit.

Diva subridens, ut amica luna,  
roborat vires animumque fulcit  
Praesidis prorae, valida Mariae  
aegide tuti.

Saepe iactatae pelago tumenti  
africus fatum mimitans carinae  
obstrepit; fuscus rutilat coruscis  
ignibus aether,  
mugiens crebro tonitru. Repente  
turbida stridet boreas procella,  
saevit; ignavo penitus tremescunt  
membra pavore.

<sup>1</sup> In notis illis pseudo-vaticiniis de Romanis Pontificibus, Malachiae, Armachano archiepiscopo, attributis, vox de Leone XIII est: *Lumen in caelo*. In eius autem generis (Pecci) insigni sidus caudatum in sereno aere fulget. Sunt insuper et lilia duo, et cupressus argentea fascia secta.

<sup>2</sup> Cfr. encycl. Leonis XIII litteras plures de rosa-  
rio Mariali.

Nec Gubernator timet in pericolo;  
immo, Regina maris adiuvante,  
pervagae clavum ratis ille torquens  
litora querit.

Iurgiis passim populos lacescit  
litium fomes vafer anguis: ira  
flagrat et caecus furor et tumultus  
diraque strages.

Horridae pugnas ineunt cohortes:  
en LEO strictos volat inter enses  
arbiter:<sup>3</sup> iugis documenta pacis  
protinus exstant.

Infremit Mavors violentus. Aequo  
Iudici grates referunt Hiberi;  
Teutoni raris decorata gemmis  
munera donant.

Insuper legum pedica solutis  
gentibus, crimen spatiatur. Ipse  
vanus et fallax (memini fleoque)  
Christus habetur!

Templa maeremus spoliata cultu,  
detrahi morum, Fidei Magistrum,  
cereo spargi nimium dolosa  
scripta popello.

Pro pudor! Gliscit, sacra quaeque sfernens,  
secta depromens scelerata. Brutis  
extrahit nostrum genus. Hei Supernae  
Mentis imago!

Hydra mille agnis truculenter alma  
matre deductis aconita praebet:  
roscidis Pastor vigilat tenellos  
cingere saepitis.<sup>4</sup>

<sup>3</sup> ANNO MDCCCLXXXV grave discrimen exortum inter Hiberiam et Germaniam de Carolinis insulis Leo XIII arbitrio factus diremit.

<sup>4</sup> Cfr. Leonis XIII encycl. litt. «Inscrutabili Dei consilio», d. XXI mens. apr. MDCCCLXXXVIII; «Quod Apostolici muneris», d. XXVIII mens. dec. eiusdem anni; epist. d. XXII mens. octobr. MDCCCLXXXII ad Archiep. Parisien., et encycl. litt. d. VIII mens. febr. MDCCCLXXXIV «Nobilissima Gallorum gens» ad Gallos Episcopos; encycl. litt. «Humanum genus», d. XX

Magna Aquinatis monumenta normas  
praecipit veri. Tenebris gravatos  
avios lustrat supereminens  
«Summa» Magistri.<sup>5</sup>

Litteras auget, reficit bonarum  
artium cultum, statuit lycea.  
Lege deflectens opifex, colonus  
aequa docetur.<sup>6</sup>

Eius edictis America Hibera  
fulgidos mitra lituoque Romam  
congregat Patres, magis apta ovili  
iura datus.<sup>7</sup>

Occidit saeculum. Nova dum reiecta  
acriter certant physici referre,  
luget, heu! caedes, labefacta sceptrum  
musa LEONIS<sup>8</sup>

et necem Humberti:<sup>9</sup> Diadema regum  
tristibus clamat lacrimis colendum;  
quae Deus sanxit dirimenda nusquam  
vincula domorum.

Hostium terror, gregis et levamen  
iam LEO splendet. Satanas tropaeis  
invidet, miro viridis senectae  
munere frendit.

Caelitum civis rutilantio  
ipsius vultu Dominae beatus,  
dulcius fundit melos: Angelorum  
assonat echo...

MICHAEL FUSCUS,  
Doctor latinis litt. trad. in Pontificio  
Seminario Beneventano, dixit Ro-  
mae in auditorio Borrominio XIII  
kal. aug. MCMXXXVIII.

mens. april. eiusdem anni; denique italicam epistolam  
«Dall'alto dell'apostolico seggio» ad Clerum Popu-  
lumque Italicum, d. XV mens. octobr. MDCCXC.

<sup>5</sup> Cfr. encycl. litt. «Aeterni Patris», d. IV mens.  
aug. MDCCCLXXIX.

<sup>6</sup> Cfr. encycl. litt. notissimas «Rerum novarum»  
et «Graves de communi re oeconomica».

<sup>7</sup> Praeter Concilium generale Americae Sept. Bal-  
timorae convocatus, Leo XIII natali Domini die anni  
MDCCXCIII primum plenarium Concilium indixit Amer-  
icæ latine, Romæ habendum.

<sup>8</sup> Cfr. Leonis XIII prope nonagenarii carmen «A  
Iesu Christo ineuntis saeculi auspicia», edit. prid.  
kal. Ianuarias MCM.

<sup>9</sup> Humbertus, Italiae rex, nefarie interemptus est  
d. XXIX mens. Iulii MCM.

DE PORTIUNCULAE TEMPLO  
APUD ASISIUM

Quae a fine usque ad finem attingit for-  
titer, et disponit omnia suaviter Manus,  
Cyrillo patriarcha Hierosolymitano, et Li-  
berio Pontifice, quatuor piissimos homines  
Hierosolymis ad Apostolorum limina Ro-  
mam deduxit, ut, hortante Liberio, in valle  
Spoletina eremiticam ineuntes vitam, sa-  
cellum Deiparae aedificant, ibique saxum  
deponerent, quod Cyrillo donante, secum  
tulerant e sepulcro, ubi Deiforme Virginis  
corpus triduo quieverat.

Hoc igitur fuit initium templi, de quo  
nunc agitur, quodque ipso ab exordio,  
nempe inter CCCLIII et CCCLVII a Christo  
annum, nomen Beatae Mariae Angelorum  
acepit, quum inter Angelorum choros as-  
sumpta depicta pateret.

Templi, advenarum, prodigiorumque  
fama commotae, frequentes gentium tur-  
bae circa idem versabantur, perpetuaeque  
populorum excubiae, quasi honoris causa,  
sanctuario advigilabant. Non hoc piae illae  
quatuor animae proposuerant, neque spe-  
raverant; quid enim commune esse poterit  
eremo cum multitudine, solitudini cum  
discurrentibus catervis atque intercurren-  
tibus?

Aemiliam in provinciam demigraturi,  
templum discipulis commendarunt, vale-  
dixerunt, abierunt. Nec vero, ipsis abeun-  
tibus, aliiquid immutatum est; et integro  
ferme saeculo ipsa adventantium agmina  
confluebant. Sed lugubres tunc Italiae fuere  
dies, perque omnia fumantia incendiis, ulu-  
lantia rapinis, rorantia sanguine, obmute-  
scientia excidiis, coruscantia barbarorum  
arma volitabant. Hinc derelictum sanctua-  
rium, cui forsitan barbarae non pepercere  
latrocinantes manus, quod forsitan piorum  
vigilum sanguine respersum est, et — hoc  
moris erat — adiectae flammae.

Quis iterum erigat? Quis habitet? Squa-

lebant circum deserti agri, viduae erant habitatoribus urbes, et si qui errabundi hic illic apparerent, suspensi, ancipites, palabundi, arescentes timore, inedia morientes, montium invia, silvarum obscura, profunda cavernarum quaerebant, ubi ex illo mortifero carnificum diluvio se tuerentur.

Interea anno **DXVI** Benedictus ille, Occidentalium patriarcha monachorum, quem iter apud Asisium faceret, sanctuarium pene dilabens, penitusque fatiscens asperxit, et quodam superirruentis Divinitatis actus instinctu, cui obstare fas non est, magistratus Asisienses adit, rogatque ut sibi dent locum instauraturo templum, cui iam inde nomen *santa cappella*, aedificato domum pro monachis, addicturo et locum Subasiano monasterio, propius quinque circiter passuum millibus erecto. Locus datus est, et cum loco agellus adiacens ad instar horti, qui tunc obiter *portiuncula agri*, hoc est quasi *parva portio*, seu pars diceretur. Inde novo templo nomen, et appellativum ab *agello* factum, scilicet a *portiuncula terreni* (sic), qua inter tempora Benedictinae gentis opulentissima illud S. Mariae distingueretur.

Atque prophetice illic in refiendo a Benedicto factum est. Sanctuarium, sacellum, fanum quoddam erat, quasi medium inter templum et aedem, quasi domus inter palatium et casam. Ac tamen Benedictus duas iussit esse portas e diametro oppositas, quarum latitudo est ad latitudinem sacelli sicut 2.30 ad 4. Brevi: latum sacellum est metra quatuor, unaquaque portarum lata est metra duo et centimetra triginta. Quis non dicat: «*Claudite portas, ne templum exeat?*»

Atqui vir Dei praenoscebat multitudinem gentium, quae, septem dilapsis saeculis, per illas transirent; ideoque eique necesse omnino esse unam ingredi portam, et recto trahite altera abire.

Sed ne praeripiamus eventum. Sacellum quotidie fama crescebat, et fama ipsa quo-

tidie augebatur angelicis apparitionibus, concentibus, nocturnis fulgoribus et coruscationibus mirabilibus, unde magna loci religio. Monaci Cassinenses post nonnulla saecula locum Subasii cessere Cluniacensibus, hi Cisterciensibus. Cistercienses, quibus ingens silentii cultus et solitudinis, aegre ferentes se illic esse, quo tanta hominum multitudo quotidie congregabatur, haud libenter morari, fastidire, recedere coeperunt; mox, aërem causati, usque ad unum, ad Subasianum monasterium rediere, vix aedituo, plebeio sene, relicto. Sed monaci, non populi, sanctuarium dereliquerant; nam scimus, quamvis in fatiscens penitus et squalidum, huc saepius venisse Picam, Francisci postea matrem, quae Deiparam rogabat cum lacrimis, ut sterili thalamo prolem daret.

Inter haec, anno salutiferae incarnationis **MCCXXX**, magno caelestium omnium praecedente et subsequente comitatu, Franciscus nascebatur Asisi.

Huic a pueritia nil praeter, nil citra mores aequalium suorum fuit, si tamen excipias promptum ad omnia et come ingenium, auream indolem bonis artibus litterisque pronam, animamque exquisitissimam. Eminebat in eo cultus, quo inter aequales, etsi generosos, clarissimus ex plendescet, atque equestres inter ludos, quibus tunc exercebatur iuventus, praestantissimus ferebatur. Hisce autem veluti irretitus detentusque eo devenit, ut patrio bello in hostes arma sumeret; sed, iniquo marte subversus, in hostium potestatem captivus veniret. Multa memorans diebus hisce de instabilitate fortunae, deque humanis rebus, quae in medio saepe cursu franguntur et corruunt antequam debito virtuti portu potiantur, mentis oculos cordisque alas ad Illum convertit, qui nec suis deest unquam, nec impos est a quovis discrimine liberare.

Conciliata pace, reddito suis, festivo vitae usu protinus ac funditus immutato,

caelestia meditanti insonuit animo vox: «*Vade, Francisce; reparo domum meam, quae labitur*». Fatiscens ac pene corruens Portiunculae sacellum in conspectu erat: de hoc restaurando secum agi putat; totusque incumbit in opus, cui non defuere piorum manus. Restitutus inde cultui eximio locus, addita pro Francisco et sociis tuguria, et novus mirabilium ordo rerum ibi nascitur dum *toto surgit gens aurea mundo; aurea*, inquam, cui tamen nec fas aurum retinere, nec aspicere, cui vitae conditio omnis in paupertate, in indigentia durissima, in deficientia rerum omnium, quibus nemini, si voluerit vivere, carere licebit. Obstupuerunt gentes attonitae visu, attonitae notitia, et novum hoc mirata portentum verba pacis audiebant proclivi aure, praedicante pacem, et pacem suadente Francisco, dum Portiunculae fama, omnium sermone percrebrens in dies, frequenter in visentium quotidie crescit.

Interea humillimo Christi famulo quid exoptatum? Gentes a peccatis avertere, et conversas ad Deum igne caritatis incendere, ad Caelum denique et laetitiam semperiternam. Quatiens membra flagellis, atterens ora ieuniis, exhaustiens oculos lacrimis profusis, haec ille precibus die, haec noctu petebat, remissionem exspectans et repositam gratiam. Dum ergo ad Portiunculam in tugurio precatur, sentit se in sacellum acciri exspectantibus ibi Christo ac Deipara, innumerabili multitudine Angelorum stipatis. Festinus advolat, et pene gaudio exanimatus est videns, et audiens optionem sibi dari de quavis gratia possenda, mox concedenda. Ex abundantia cordis ore loquutus flagitat, ut quotquot ingressi fuerint Portiunculae templum, confessi rite atque absoluti, indulgentiam plenam et confertam et superabundantem ex patrato opere consequerentur. Noluit servo Dominus impar haberi, et quam succederat spem implorandi, benigne annuendo perfecit, addens ut ad Ho-

norum III pontificem Perusiae tunc degentem accederet, ut ratum fieret a Christi vicario quod Christus ipse sponderat.

Nulla interposita mora legatus Christi ad Honorium volat, et quae dicta sunt, et quae facta, et qui mittat, et quid petat exponit. Tantum in dicente instar erat, tantum fidei et simplicitatis in fronte, in oculis eminebat, ut Honorius ter affirmans in nomine Christi ea pollicitus sit, quae Christus per servum suum postularat. Frustra nonnullis ex curia obstantibus, certiorem rei Papa oretenus fecit Franciscum, cui, quum gratias agens e pontificio conspectu moveret: «*Quonam abis, o simplex homo*», Honorius inquit, «*nullis acceptis tabulis, ac testimoniis? Auditui tuo quis crederet, et brachium et sacramentum Domini quomodo demonstrabis?*». At vir caelestis: «*Non ita, Pater sancte; non egeo. Scriba mihi Christus, Deipara tabula, testes Angeli sunt*».

Abiit ergo horam Domini exspectans. Iamque mensis Ianuarius aderat horrens nivibus et asper gelu. Nox alta videbat Franciscum sub dio ad Portiunculam intersentes cuiusdam sepiis nuda membra et sanguinolenta trahentem, spinis quaquarens versus arantibus ac scribentibus corpus, ut Satanam, perfida pietate suadentem mitiora, coerceret. Continuo nova lux oculis affulsit, et omne circa nemus obrutum radiis, et rosis albis ac sanguine scriptis dumeta illa floruerunt. Adstant Angeli, candidisque vestiunt nudum, et roseis onustum ramis ad altare Portiunculae deducunt, ubi, ceu nuper, quasi in solio, Christus et Maria coruscabant. Tum, suadente Christo, rosas Matri offerebat, diem indulgentiae maxime statuebat ad kalendas Augusti. Romammittitur ad haec nuncianda Pontifici, ut quae Christus decreverat, testimonia perhibentes Romam adduceret. Post haec Angelorum chori hymnum triumphalem dixerunt.

Sequenti mane tribus cum sociis Romam

pedestre iter Franciscus arripuit, suae legationis Pontifici testimonium in rosis ferens insueto vernantibus tempore, quae tam longa via, tam diuturno itinere neque aruerant, neque marcuerant, neque deflouerant.

Datis igitur litteris, septem episcopi, nempe Asisinatensis, Perusiensis, Tudertinus, Fulginatensis, Spoletinus, Nucerensis, et Eugubinus, kalendis augustis ad Portiunculam congregati sunt, ibique populis indulgentiam illam singularem, prout Franciscus dixerat, auctoritate apostolica nuntiarunt.

Haec olim in exiguo sacello; at christianus populus magnificentius ibi basilicam exstruendam paeceperit, quae sacrum aedificium cingeret, atque operiret, mediumque in gremio, quasi sanctuarium, teneret memoriale perpetuum Francisci ac tot sanctissimorum virorum, qui seraphici Patris haerentes vestigiis virtute populos, miraculis Ecclesiam amplificarunt, Italiam fama honestarunt.

Neque hoc tantummodo; sed quasi certatim quotquot fuerunt Itali insignes tabulis, aere, marmore, prout qui fuere illustres poësi, architectura, scientia denique et arte quavis, omnes ad hanc basilicam statuendam, ornandam, muniendam opere festinarunt.

P. d. V.

## NOSTRA RES

### Ad renovandum latinae linguae usum<sup>1</sup>

18. Karosserie (*carosserie gall.; carrozzeria ital.*) – capsus, ploxenum.

19. Antriebskette (*chaîne de commande gall.; rocchetto a catena ital.*) – tractus catenarius, tractura catenaria; etiam absolute: catenatio.

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.; ubi vero nonnulli typorum errores corrigendi sunt. Legendum enim erat *Gesellschaftswagen* pro *Gesellschaftavagen*; *Anlasser* pro *Anlaker*;

20. Kotflügel (*garde-boue gall.; parafango ital.*) – pluteolus.<sup>2</sup>

21. Kugellager (*patier à bille seu roulement à bille gall.; sopporto anulare mobile seu a palle ital.*) – alveolus globatus, rotatio globularia.

Könisches Rollenlager (*cuscinetto a rulli conico ital.*) – alveolus conicus scutulatusque.

22. Kühler (*radiateur gall.; radiatore ital.*) – refrigeratorium.

23. Kühlerhaube (*capot de radiateur gall.; tappi di radiatore seu cofano ital.*) – cophinus, seu segestria refrigeratori.

24. Kupplung (*accoppiamento ital.*) – copulatio.

25. Scheibenkupplung (*frizione monodisco ital.*) – copulatio, seu nexus fricans seu orbicularis.

26. Lenkrad (*volant gall.; volante di direzione ital.*) – rota gubernaculi.

27. Lenksäule (*asta di direzione gall.; colonne di direction gall.*) – axis gubernaculi, ergata gubernaculi, hasta gubernaculi.

28. Lichtschalter (*commutateur gall.*) – mutatorium lychnorum.

29. Monteur (*meccanico ital.*) – structor machinarius.

30. Nummernschild (*plaqué de police gall.; targa metallica ital.*) – tabella numeraria.

## II E

31. Sit alicuius digae titulus: 27361.

Romanorum cifra dualis denotat Magnae Germaniae partem, Bavariam. Bavaria autem terra est. Haec divisa est in octo pagos, quos etiam circulos nominamus, quorum ordo hic: Bavaria Superior, Inferior, Palatinatus, Superior Palatinatus, Francia Superior... Pagi autem in re digaria

Startschlüssel pro Startochlüssel; Antrieb (*traction*) pro Autrieb (*tractation*); Armaturenbrett pro Armaturenboett; Sitzt fest pro szit fest; Cantherius pro Cau-therius; Differential pro Defferential; Zuziehen pro Suziehen; Schalthebel pro Ishalthebel.

<sup>2</sup> « Luticipulum » *Palaestra Latina* vocavit.

distinguuntur litterarum signis. Porro nos illis commodis in proferendis numeris cur nos Latine loquentes careamus? praesertim cum cifrae latinorum et numeralia adiectiva multo sint incommodiora quam ho-diegnorum populorum. In eo certe genere etiam critici illi nonnihil nobis concedant oportet. Ego contendo *millones*, *billones*, *trilliones* recte etiam Latine dici. Praeter volantem ergo velocitate octogenum chilometrum et illa inscriptione ornata digam conspicatus et a socio meo interrogatus, quid signi vidissem in titulo, sic respondebo: Diga ista est secundae [terrae] [literae] E viginti septem, trecentesima sexagesima prima. Si videro numerum his expressis cifris 50018, sic pronuntiabo: [diga] quinquaginta, zero decima octava. De illo « zero ». Forcellinus: zeros i. m. est genus gemmae similis iridi. Solus Plinius habet vocabulum et vocatur in dubium aliis volentibus esse psarós, aliis leros esse volentibus. Menge-Gnethling hoc tradunt: Null-zero, n. indeclinabile nomen. Et suspicor pro indeclinabili usos esse et uti mathematicos. Et suspicor nomen cifrae illius exstitisse per errorem, sed non habemus aliud, quia cati Romani etiam catus Arabum numerarium systema ignorabant. Eo ergo nos in nova re liberiores manemus. Itaque fidenter ego tuum 0,005 sic eloquor: zero comma, zero zero quinque (quae sunt quinque millesimae). Si cui haec non placent, proferat melius aliquid, quod libenter nostrum faciemus.

32. Prellstein (*paracarro ital.*) – cippus.

33. Reserveteile (*pièces de recharge gall.; pezzi di ricambio ital.*) – subsidiaria.

34. Reserveräder (*roues de recharge gall.; ruote di ricambio ital.*) – rotæ subsidiarie.

35. Rücklicht (*signal stop arrière*) – lumen posticum.

36. Rückstrahler (*réflecteur*) – radiaculum.

37. Stossdämpfer (*amortisseur de choc*

gall.; ammortizzatore ital.) – sedamen, aut lenimen allisionis, retundiculum, proscomma.

38. Schmierung (*lubrificatione ital.*) – illinimentum, linimen.

39. Trittbrett (*marche-pied gall.; predellino ital.*) – suppeditaneum.

40. Tank (*réservoir gall.; serbatoio di benzina ital.*) – benzinarium.

41. Ventil (*soupape gall.; valvola ital.*) – valvola.

42. Ventilschaft (*stelo della valvola ital.*) – stela valvolae.

43. Ventilteller (*testa della valvola ital.*) – orbiculus, verticula, verticillus valvolae.

44. Verdeck (*capote gall.; mantice ital.*) – segestre, segestria.

45. Vergaser (*carburateur gall.; carburatore ital.*) – generatorium gasis, seu gasi. (Generatorium (gasis) intermittebit, parum procedit = *il carburatore funziona male*).

46. Werkzeugkasten (*coffre à outils gall.; scatola degli utensili ital.*) – theca, loculus utensilium, armariolum instrumentarium.

47. Zylinderbohrung (*diametro ital.*) – cylindri diameter.

48. Ventilfeder (*ressort de soupape gall.; molla della valvola ital.*) – tendiculum valvolae.

49. Motorium circumagit, seu currit.

50. Motorium impetum non capit; faciles habet impetus (*ripresa ital.*).

Hactenus haec. Re digaria absoluta, sequentur varia.

JOSEPHUS HOLZER.

## ANNALES

### Hispanicum bellum civile

« Nationalistarum » victricibus armis in dies procedentibus, licuit iam Pyrenaeos montes sub inspectione sua habere ab Irun urbe ad Andorrae Rempublicam; hinc,

inter alia, factum est, ut decem prope militum millia, stipendia apud Communistas agentium, per Pyrenaeos saltus fugam in Galliam descenderint, ubi vero Barcinonensis legatis traditi sunt, qui secum adduxerunt, ut suis agminibus restituerent. Inde quoque conicere licet quinam « Rubrorum » qui vocatur exercitus animus factus sit, dum adversariorum fortis et eructus permanet ad patriae libertatem unice tendens. Nunc, Burriana atque Nules occupatis, Saguntum hi petunt.

Interim « coetus de non interventu » Anglorum proposita, licet, de more, sine intermissione resistantibus Russicis legatis, rata omnino habuit, etiam de voluntariis exteris militibus ab utroque parte dimittendis; resque Burgensibus et Barcinonensis publicorum negotiorum administris significata est, quorum responsiones exspectantur.

#### Orientis discrimina

In Orientalibus orbis regionibus bellum perdurat inter Sinenses Iaponiosque, quamvis inundationes, sive natura sive arte genitiae, hic et illic res ut intermitterentur coegerint. His diebus Iaponii feruntur bellum et in meridionales Sinarum regiones inlaturi.

In Palaestina quoque gravis rerum condicio permanet ob quotidianas Arabes inter et Hebraeos conflictationes.

De Alexandriolae vero statu nunciatum est, Turcas inter et Gallos pactionem initam fuisse, per quam copiae simul et aequali numero Turcae et Gallicae illam regionem ex nunc munient.

#### Ex Cecoslovachia

Nihil novi, si incipientes etiam Slovacorum motus exceperis, de Cecoslovachiae quaestionibus: qui rerum gubernaculo praesunt novis legibus student, variis populis, qui illam Rempublicam constituant, assignadis.

**Prudentem Imperatorem operam dare debere, ut suis militibus pugnandi necessitatem imponat; hostibus vero omnem pugnae necessitatem demat<sup>1</sup>**

Ostendimus alio loco quam utilis sit Necesis ad humanas actiones expediendas; simulque monstravimus, necessitate coactos homines saepe res gessisse, quibus ad gloriam singularem sint evecti. Morales quoque philosophos proddidisse, linguam et manum, quamvis per se nobilissima sint instrumenta, nunquam tamen res humanas ad eam, in qua nunc sunt, perfectionem dignitatemque promovere ac producere potuisse, ni necessitas quaedam ipsas coegisset. Quae res antiquis imperatoribus quum ignota non esset, iisque facile inteligerent, animos militum necessitate coactos ad dimicandum fortes et obstinatos fieri, in id maxime incumbeant, ut suis necessitatem pugnae, captata quavis occasione, imponerent; hostibus vero eamdem de industria adimenerent. In quem utique finem, persaepe hostibus transitum per ea itinera aperuerunt, quae custodiri facile potuissent, et suis iter clauserunt, quod facile potuissent aperire. Quicumque ergo cupit, sive cives urbis alicuius fortes, audaces et obstinatos ad sui defensionem efficere, sive alium exercitum fortem et pertinacem ad pugnandum in praelio reddere, is summo studio in id incumbere debet, ut necessitatem huius rei ipsis imponat, aut certe, ut eorum animi persuasi sint, talem sibi necessitatem incumbere. Ex quo sequitur etiam hoc, ut qui expugnare cupit urbem aliquam, et quam facile difficileque sit hoc ipsum deliberat, ex sola necessitate istud possit metiri, quam habent cives sese defendendi. Quibus enim

<sup>1</sup> EX NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

## VARIA

civibus magna imposita est necessitas defensionis, ii graves causas habent strenue pugnandi, et proinde fortiter sese defendent; nec facile illa urbs occupabitur. Contrarium autem eveniet quoties nulla singulari necessitate cogentur. Hinc fit, ut qui semel rebelles facti a suis dominis defecerunt, longe difficilius recuperentur, quam qui prius nunquam defecerant: illis metuenda est poena rebellionis, si recuperentur, et proinde gravem causam habent sese defendendi, ne in poenam incidunt; quum econtra ii, qui prius nunquam defecerunt, si maxime a novo hoste occurrent, non metuunt poenam delicti talis, quia id ipsum non commiserunt.

Et haec quidem, ut plurimum, hisce de causis ita eveniunt; tamen solet etiam obstinatos hominum animos ad defensionem efficere naturale quoddam odium, quod se mutuo prosequuntur Republicae liberae et Princeps, praesertim qui vicini sunt; nimis ob imperandi cupiditatem, quae principibus solet inesse, et libertatis amorem, qua flagrant Republicae liberae, sic uti in Hetruria cernere licet, ubi haec ipsa aemulatio valde pertinaces tam principum quam Rerumpublicarum animos ad defensionem semper efficit. Hinc etiam factum, ut Florentini, quamvis in rem bellicam longe plures sumptus fecerint quam Veneti, nequaquam tamen potuerint tantum imperium comparare, quoniam vicina loca oppidaque omnia Hetruria semper libertatem suam acerrime defenderint, nec unquam aliorum imperio parere consueverint. Sed Veneti habuere in circuitu urbes servituti iam ante assuetas, quibus perinde fuit parere illorum imperio, atque eorum qui ipsis prius imperassent. Nam qui consueverunt sub alicuius vel Principis vel Reipublicae imperio vivere, ii non magni faciunt domini mutationem, sed sponte quandoque illam expetunt, praesertim si durior videatur esse servitus illius, cui nunc parent. Habuerunt igitur Veneti po-

tentes quidem urbes in circuitu sitas, sed quae parere aliorum imperio semper consuevissent; Florentinorum vicinae urbes, quamvis exiguae fuerint, tamen libertate fruebantur, servituti assuescere nesciebant, nec proinde expugnari potuerunt absque summa difficultate.

Imprimis igitur sapienti imperatori providendum est, quum urbem aliquam occupare conatur, ut demat civibus necessitatem illam, quae eos ad defensionem tam obstinatos efficit. Quod quidem consequi poterit, partim impunitatem promittendo, partim ostendendo non violatam iri publicam libertatem, sed privatos tantum quosdam ambitiosos loco movendos esse.

#### Lupi et Canes

Quum animadverterent Lupi se non virtute Canum, sed multitudine superari, hoc inivisse consilium perhibentur. Mittunt ad Canes, qui ab iis, quorum color non dissimilis luporum esset, quaererent, cur non potius secum coniungerentur, quibus natura ipsos conciliasset, id quod coloris significaret similitudo; quique illis dicenter, si luporum auxilio adversus alios canes discrepantes colore uti vellent, postea, sublati illis, et ipsos solos rerum potituros; et in perpetua amicitia luporum futuros esse. Quum res stultis Canibus probata, et alii canes circumventi atque iugulati fuissent, tum sine negotio et periculo istos etiam concolores sibi interfecerunt Lupi.

Fabula narratur contra proditores, quibus tantisper honor debetur, dum requiritur opera illorum; at mox, rebus perfectis, plerumque ne parcitur quidem iis ab illis ipsis, qui eos corruerunt.

#### Pro iudicibus mensarum elegantibus

##### ESCARUM ORDO:

*Cremum furfureum.  
Agninae costulae frixa.*

*Asparagi suaviter asperi.  
Perdices assae.  
Pomorum liquamina gelu concreta.*

**locosa**

Magistro TUCCIU:

— Ecce nigrum Libyes tam perlucidi sunt?

— Quia oleo corpus late perungunt.

— Neque timor est ut maximis sua regionis aestivis illis caloribus frixi evadant?

TUCCIO Mater:

— Numne, quemadmodum te monueram, fratri natu minori meliorem piri partem dedisti?

— Quin imo optimam; semina scilicet, ut serat, integrumque piri arborem sibi sit habiturus!

**Aenigmata**

## I

Per silvam fugio, venantum fraude petitus.  
Principium muta! Sum tibi fidus, here!

## II

Tristem saepe paro mortem mucrone cruento.  
Principium mutas? Garrulus ales adest.

Idem aliter:

Virgo fui; volucrem me Musae reddidit ira.  
Principium mutas? Me fuge! Vulnera do.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Cos-Eos*; 2) *Pax-Fax*.

**MONITA**

Fasciculi mensis Augusti et Septembris ob annuas ferias in unum, ut iam de more, prodibunt, qui primis Septembris mensis diebus edetur.

Socios qui nondum consociationis pretium solverunt, iterum rogamus, ut moram interrumpere velint. Meminerint nos unis nostris viribus vivere!...

**LIBERA A PITTA CIIS RESPONSA**

Cl. v. H. L..., *Mundae*. — O terque quaterque beatus, qui aestivos secessus ab illis mirificis locis, quae oculis submisisti meis, quaerere potest! Nos urbanae caniculae subesse debemus! Salutem plurimam tibi reddo.

Cl. v. AVEN..., *Tirschenreuth*. — Et tu in amoenissimo rure vivere videris: sitque valetudini tuae felix faustumque. Mea alterna vice procedit. Confido ut promissis maneas.

Cl. v. P. M. K..., *Kaldenkirchen*. — Praeter classicos S. Thomae hymnos, alios qui commendari possint ignoramus. Doleo quod tibi satisfacere nequeamus.

Cl. v. FR. P..., *Trebici*. — Tr... mihi respondit se ita viribus exhaustum, ut ne sua manu litteras quidem dare queat, in suburbana quiete vivere aliquantis per coactum esse, a quo vis studio aut negotio remotum. Quum ipsi licuerit in patriam redire et rebus seriis gravibusque iterum vacare, tibi morem gerere, quo meliori potuerit modo, curabit.

A SECRETIS.

**LIBRI DONO ACCEPTI**

*Cantemus latine!* — Triginta cantica Germanica latine vertit OTTO SCHMIED. (Edid. Österreichischer Bundesverlag für unterricht, Wissenschaft und Kunst Wien und Leipzig, 1938).

*Valete, Musae!* — Carmen JOSEPHI MORA BITO (Messanae, ex « Schola typogr. Antoniana », MCMXXXVIII).

FRANCISZEK BATUREWICZ. *Koniecznosc Laing dla swiata wspolczesnego*. (Nasza Ksie garnia, Warszawa, 1938).

Der Lateiner Band I, Heft I (Edid. Ferd. Dummlers Verlag, Berlin Sw. 68 und Bonn).

## IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS Ep. Porphyreonen.  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

**REGULUS**

[28]

**ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN**

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

TU. Curnam tandem? Quid istaec volt sibi properatio?

Comitia enim oportet tribus ante nundinis edicier;

Sic prisca consuetudo postulat. At nunc minarier

Hostis portis Romae putes. — SEX. Aiunt, ut fiat ista res,

Instare Karthaginenses. Sit sane, considerate rem.

Nisi hodie procedimus, quom mavumast miseratio,

Erit res sera, si frigescet commiseratio.

MA. Haec contio frequens erit; nam fama, ut telum Apollinis,  
Volavit, est numerus mortalium innumerabilis.

AT. Serani! — SEX. Em servate! — AT. Adestne meus Seranius?

Fidum matris adminiculum? Noli me linquere,  
Ardet caput meum. — SER. In meo depone id pectore.

AT. Ecastor iam russum deliramenta loqua sum.

Tolerate sultis istuc, iam cito finis erit.

Heus ut ego istius finem rei facere non queo!

**SCENA V****CAEPIO, PRIORES.**

CAE. Servate, cives, consul iam venit cum Regulo.

AT. Nugas agis. — CAE. Iam videris. — AT. Iam res est perdita.

SEX. Non sic est, nam parati nos sumus. — AT. Quom ille loquitur,  
Quis est promptius? Quam stulte, Sexte, loqueris.

SEX. Voluntas constans sit modo. — AT. Tu quid putas?

Quis es tu? etiam mihi licet et velle possum et destino  
Me vincere et periclitior, quom illi dicam: hoc volo.

Sed una voce mi persuadebit, sic sentio.

Ubist meus acutus pugio? illum quis habet?

Serani, dic, meusne vir illum mihi apostulit?

Vos admiremini, profecto ille mihi apostulit.

SEX. Cives, numne istius nos conspectus non commovet?

Istanc imaginem vostris oculis adponite:

Servate Regulum, gnatos et coniugem. Quis sequitur?

TU. Nos omnes. — POP. Omnes. — CR. Iam veniunt. — AT. Iuvate,

Ut ascendam hunc lapidem, nam illum videre cupio.

CAE. Servate, cives, ordinem. — POP. Faveant di consuli!

AT. Audin, Serani? plebs Metellum clamat consulem.